COMPETENTIA
IVRISDICTIONIS
INTER REVERENDISSIMVM
Miniſtrum Generalem, & Commiſſarium Indiarum, Matriti reſidentem, Ordinis Minorum
SANCTI FRANCISCI
DE OBSERVANTIA.

QVatuor in quæſtionem vocantur. Primum, vtrum Reverendiſſimus Miniſter Generalis eamdem, ſeu maiorem penes ſe retineat poteſtatem pro abſoluto regimine Familiæ indicæ, ea quam Commiſſarius ex iniuncto ſibi munere ſortitur?

Secundum, an ad Reverendiſſimum Miniſtrum Generalem priuativa pertineat electio, ſeu deputatio

Procuratorum, Agentium, & Reſponſalium, qui in hac Regia Matritenſi, Romæ,& aliubi pro negotijs Seraphicæ Religionis deſtinantur?

Tertium, an ad ipſum etiam priuative pertineat electio, & inſtitutio Vicecommiſſarij Indiarum, Hiſpali commorantis?

Quartum, an electio Commiſſariorum Generalium Peruani, & Mexicani ſpectet ad Reverendiſſimum Miniſtrm Generalem?

AD PRIMVM.

PRæmitendum eſt, Reverendiſſimum Miniſtrum Generalem, infra Pontificem Maximum, Monarchicam, & abſolutam cum mero, & mixto imperio habere iuriſdictionem pro Regimine totius Familiæ Seraphicæ, vbiuis terrarum exiſtentis, quod expreſſe cavetur in Regula Sancti Patriarchæ Franciſci. *cap.*1.8. *&* 10. & in Bulla Leonis X. *cap.*4. vbi hæc habentur: *Ea propter volumus, & ordinamus, prout in dicta Regula Beati Franciſci continetur, vnum Miniſtrum Generalem totius Ordinis decetero, omnibus, & ſingulis Fratribus eiuſdem Ordinis cum plena poteſtate, quæ ex Regula ſibi competit, præfici; cui omnes, & ſinguli prædicti Fratres in omnibus, quæ non ſunt contra Deum, animam ſuam, & Regulam, firmiter teneantur obedire.* Teſtantur Corduba, in expoſit. ipſius. Regulæ. *cap.*8. *quæſt.*1. Miranda. in manual. Prælat.*tom.*2.*quæſt.*7.*art.*1. *& quæſt.* 10. *art.*1.Rodriguez. *tom.*1. *quæſt. regul.* 17.*art.* 3.

Ad inſtar ſummi Præſulis in vniverſa Eccleſia, Sanct. de Melph. in comment. moral. ſuperſtatut. & conſtitut. *cap.*1. *ſtatut.* 6. §. 1. *& cap.* 8. *ſtatut.* 27. ibi: *Generales habere in Religione tota tantam authoritatem, quantam Summus Pontifex in tota Eccleſia. Gubernat. in Orbe Seraphic. tom.*1. *lib.*3. *cap.*9. *num.*1. *&* 2.

Vnde manat, Reverendiſſimum Generalem Miniſtrum concurrere cum Prælatis omnibus, eo ſubalternis, impoteſtate,

testate, & iurisdictione Ordinaria, & alterius cuiuscumque gradus, quemadmodum Pontifex Maximus concurrit cum Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis, *cap. cuncti per mundum. 17. caus. 9. quæst. 3. Gloss. Magistralis in cap. 2. de præbend. lib. 6 tum, & ratione Voti obedientiæ, quod hanc absolutam subiectionem importat*, Suarez de Relig. *lib. 2. cap. 2. num.* 15. Raggi. *de Regimin. Regul. cent. 2. tract. 2. dub.* 109. *num. 2. & tract. 3. dub.* 116. *num.* 3. Tamburin. *de iur. Abbat. tom. 1. disputat. 3. quæst. 3. n.* 3. D. Loren. Math. *de Regimin. Regn. Valent. cap. 7.* §. 4. *num.* 91.

Ididem fluit, posse omnes Prælatos inferiores, cuiuscumque gradus sint, ordine movere, & ipsis in exercendis muneribus modum dicere, Suarez. de Relig. *tom. 4. lib. 2. cap. 2, num.* 22. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regal.* 51. Rota. apud Tamburin. *de iur. Abbat. tom. 3. decis.* 81. *n. 6. Gubernat. in orb. Seraphic. tom. 1. lib. 3. cap. 9.* §. 1. *num. 4. &* 5.

Revocare ad se cognitionem causarum, exemplo Summi Præsulis, *cap. vt nostrum. 56. de appellat.* Suarez. *tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 2. num.* 22. Diana *part. 5. moral. tract. 8. miscellan. quæst. 35.* Raggi. *de Regim. Regul. cent. 2. tract. 3. dub. 116. num. 3. Non refragrante* sanctione Trident. *Sess. 24. de reformat. cap.* 20. Quia non procedit in Regularibus ratione Voti obedientiæ Barbos. *in collect. num. 9.* Diana, & Raggi. vbi proxime.

Ex quo non sequitur inclamata, & sepius inculcata plurium capitum monstruositas, *ad tex. in cap. Quoniam in plerisque. 14. de offic. ordinar.* Quia potestas, & iurisdictio Prælatorum inferiorum est subordinata Reverendissimo Ministro Generali, quo vel respectu submovetur, & exulat illud malum, quod putide effutiunt, Card. de Luca *sub tit. de iudic. discurs. 86. num.* 5. videndus Rodriguez *tom. 1. quæst. regul. 17. art.* 7. Exemplo Vicarij Episcopi, qui licet cum ipso idem Tribunal constituat, *cap. Romana de appellat. in 6.* non tamen alter, nec æqualis est Prælatus, quia sub ordinatio bicipatum exterminat, August. Barbos. *de offic. & potest. Episcop. allegat. 54. num.* 59.

HIs Prælibatis. Respondeo, Reverendissimum Ministrum Generalem post creatum, & electum Commissarium Indiarum, eamdem cum illo, & maiorem penes se retinere potestatem, & iurisdictionem, ad moderandas vniversas Provincias eidem Commissario decretas: Hæc assertio duplici medio, & quidem apodictico probatur.

Primum ex ratione iuriscommunis, quo cavetur, Prælatum alteri vices suas plenarie mandantem, pénes se eamdem, & maioren retinere potestatem, tex. dissertus *In cap. dudum* 14. *de præbend. lib.* 6. ibi: *Quod & si memorato Episcopo prædictam concessimus potestatem, penes nos tamen remansit maior.* Et ibidem *Gloss.* verb. *Revocare* August. Barbos. *in collect. num.* 5. *& vot.* 33. *num.* 9. Tondut. *de prævention. part.* 2. *cap.* 45. *num.* 18.

Exemplo Principis Supremi, qui si Proregem (alter nos) constituat, iurisdictionem Baronibus cum mero, & mixto imperio absolutam, & alijs prægnantissimis clausulis donet, per huiusmodi concessiones non censetur (neque potest secundum veriorem sententiam) à se abdicare eamdem, quàm communicat, potestatem, multoque minus alteram excelsissimam Diademati coævam, qua populos in maioribus, regit, & oppressos sublevat, D. Covar. *pract.* 4. *in princip.* D. Latrea *allegat.* 110. *num.* 26. D. Solorzan. *de iur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 12. D. Lorenço Matheu *de Regimin. Regn. Valent. cap.* 5. §. 3. *num.* 60. *& cap.* 2. §. 1. *num.* 15. latissime Antunez *de donat. Reg. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 8. *ex num.* 12. Ratione satis congrua; ne videatur parem sibi asciscere, dividere imperium, Mascard. *de probat. conc.* 1050. *n.* 11. Grab. Pereyr. *de manu Reg. part.* 1. *cap.* 37. *num.* 25.

Et in Espiscopo (quod est aptissimum paradigma) Vicarium constituente, qui licet à Canone iurisdictionem accipiat *cap.* 2. *de offic. Viccar. in* 6. non tamen exuitur Episcopus potestate sibi coæua, qua concurrit cum ipso, &

maior est illo, Sbroz. *de offic. Viccar. lib.* 1. *quæst.* 51. *num.* 4. *& lib.* 2. *quæst.* 57. *num.* 10. *& quæst.* 177. *num.* 2. Barbos. *de offic. & potestat. Episcop. part.* 3. *allegat.* 54. *num.* 39. Narbon. *de appellat. part.* 1. *num.* 92. *&* 93. Fermosin. *in cap. Sua nobis. quæst.* 5. *num.* 47. 48. 52. *&* 53. *de offic. Viccar.* Vnde inter eos non datur præventio, neque præocupatio reddit Viccarium, potiorem ad ius dicendum, Rota *decis.* 297. *part.* 2. *recent.* Posth. *demanuten. observat.* 52. *num.* 23. Tondut. *de prævent. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 21.

Nunquam enim superior mandat, seu concedit iurisdictionem negative ad se Bald. *in l. Qui se Patris num.* 10. C. *Vndeliber. & cons.* 326. *lib.* 1. Petrus Barbos. *in l.* 1. *art.* 4. *num.* 109. *ff. de iudic.* Antunez. *de donat. reg. lib.* 1. *part.* 2 *cap.* 8. *num.* 14. Sed participative cum ipso, aut acumulative cum alio, qui ea lætabatur, *l.* 1. C. *de offic. Præfect. Præt. l. fin C. de iurisdict. omn. iudic.* Petrus Barbos. *in l.* 1. *art.* 4. *num.* 76. *ff. de iudic.* Carleval. *eōd. tract. lib.* 1. *tit.* 1. *disput.* 2. *num.* 1205. licet concessio concipiatur cum clausula: *solus iudicet.* Idem Petrus Barbos. vbi proxime *num.* 102. Tondut. *de prævent. part.* 2. *cap.* 45. *num.* 9.

Secunda probatio assertionis desumitur ab institutione Commissariatus. Illud enim munus, suggerente Prudentissimo Regum Philipo II. primum erexit Minister Generalis Fr. Christophorus, de Capite Fontium anno 1572. & ex eo tempore sub sequenti formula Litteræ expediuntur: *Prædecessorum nostrorum Vestigijs, & memoratis Toletanis statutis inherentes, dignum, quin & debitum censuimus, virum aliquem nostrum subditum, assumere, & Generalem omnium Indiarum, & totius novi orbis Commissarium instituere, qui iuxta Catholici Regis piam, ac Religiosam voluntatem in omnibus, quæ ad tuendam, & conservandam, ac propagandam in dictis partibus Religionem posse prodesse viderit, nostro nomine, & authoritate agat, mandet disponat, & exequatur.*

Et infra: *In quibus omnibus plenarie vices nostras tibi duximus commendandas, &c. Declaramus insuper, te, & socios tuos nobis solummodo, & nostræ vissitationi, & correctioni, & nullius alterius ex nostro Ordine superioris regulariter, & in quocumque cassu, & eventu subditos esse, & subiectos.* Describit Gubernat. *in orbe Seraphic. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 9. §. 2. *num.* 12.

Formula, qua vssus fuit huius inventor muneris Generalis Minister de Capite fontium, transcriptæ respondens, huiusmodi est: *Opere pretium fore duximus, Generalem aliquem, substitutum nostrum, seu Commissarium totius illius novi orbis instituere.* Et infra: *super prædictas omnium Indiarum Provincias officij nostri vices omnes committimus. Insuper omnes officij nostri vices, omnimodamque potestatem in vtroque foro super omnes, & singulas dictarum Provinciarum personas, quavis etiam dignitate, & officio præditas, tibi damus, atque committimus.* Refert Gubernat. *in orb. Seraphic. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 2.

Hæc, velut hominis institutio translata fuit in legem in Congregatione Generali Toletana *sub anno* 1583. *cap.* 1. *per hæc verba: pro Fratribus Indiarum vnus Commissarius Generalis instituatur à Reverendissimo Patre Generali ex assensu, & beneplacito Regis Catholici præfigendus, qui & in ipsius curia resideat.* Et infra: *Qui nimirum Commissarius Indiarum immediate subditus sit Generali Ministro in omnibus, & per omnia, & nulli altari Prælato & superiori erit subditus.*

Insuper hoc statutum cũ prædicta subiectionis declaratione confirmatum fuit in Congregatione Barchinonensi, & ab Vrbano VIII. in Bulla, quæ incipit: *In iuncti nobis.* Sub die 18. Decembris anni 1625. & rursus in Congregatione Generali Toletana de anno 1645. quas omnes refert Gubernat. *in orb. Seraphic. lib.* 3. *cap.* 9. §. 2. *num.* 11. *tom.* 1.

Tum sic. Nullus aptior est modus discernendi munera, quam eorum institutio, & primordialis erectio, *l. Actione.* 65. §. *Morte.* 9. *ff. pro socio. l. Vt responsum* 15. *C. de transact.*

l.

l. 1. *C. de imponend. lucrativ. descript. lib.* 10. D. Valenç. *consf.*33. *num.* 116. Antunez. *de donat. reg. lib.* 1. *prælud.* 2. §. 6. *num.*51. Ea enim vti lex imposita fundationi, & causa illius efficiens, seu originalis: totam regit dispositionem, *l. Qui id quod* 33. *ff. de donat. l. Damni.* 18. §. *Sabini. ff. de damn. infect. l. Tutor datus* 69. *ff. de fideiussorib.* Antunez. *dict. prælud.* 2. §. 3. *n.* 14. qua propter perstrictim servanda est, nec alicuius potestatis prætextu convellenda. *cap. Venerabilem* 34. *de alect.* Petrus Greg. *de Republic. lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 1. & *cap.* 16. *num.* 8. D. Salzed. *in examin. veritat.* §. 9. *fol.* 145.

Sed præfata documenta subiectionem Commissarij erga Reverendissimum Ministrum Generalem disserta stabiliunt: ergo eam non agnoscere, Indiarum Commissarius iniuste recusat. Quis enim non asurgat Prælato, aquo suam accipit, & derivat iurisdictionem? *cap. Super quæstionum* 27. *de offic. delegat.* Nec quisquam hunc modum dicendi traducat, nam Vrbanus VIII. *in suo diplomate* 17. *Iulij anni* 1643. Commissarium Indiarum delegatum appellat, ibi: *Ac demum Commissario Generali, in eiusdem Regis Catholici curia existenti, tanquam à dicti ordinis Ministro Generali per Litteras patentes expressas pro indis delegato.*

Et certe inspecta suæ creationis, & institutionis origine, hoc verum est. Secundum vero administrationem, amplitudinem, & vniversitatem causarum, quibus præponitur, munus iudicis Ordinaij ei negare non possumus, *Gloss. in l. a iudice.* Verb. *Non habet. C. de iudic.* Sanch. de Matrim. *lib.* 3. *disputat.* 31. *ex num.* 1. Carleval. *de iudicijs lib.* 1. *tit.* 1. *disputat.* 4. *num.* 32.

Vtcunque tamen sit, ille primus Respectus in causa est, vt suo Dynastæ, aquo, vel per quem iurisdictionem accipit, quæstionem, potestatis refricare, retundere non possit, *ex reg. tex. in l. Siquis conductionis* 25. *C. de locat.* Quam ad hanc speciem, & similes derivant interpræte cum Felin. *in cap. Inter dilectos num.* 2. *de fide instrumentor.* Mantic. *decis.*235. *num.*4. Paul. Rub. *part.* 4. *tom.* 2.

 decis.

decis. 420. *num.* 50. Quinimmo vniversum illud imperium, quo ex munere sibi iniuncto Commissarius lætatur presente Reverendissimo Ministro Generali qui totius Seraphicæ Religionis Principatum, clauum tenet, conquiescere, silere debet, *cap. volentes.* 8. *de offic. legat. cap. Antiqua.* 23. *de privilegijs l. fin. ff. de offic. Proconsul.*

Hoc ipsum, quod recantant instrumenta erectionis, observantia diutina docuit: nam ab ipsa commissariatus creatione Reverendissimi Ministri Generales in Provincijs Indicis quæcumque oportuit, vel libuit, moderati sunt, vt legitur in exemplaribus per Secretarium Generalem ex archivo Franciscano de sumptis. Iam ergo constat, observantiam esse fidelissimam legum, constitutionum, privilegiorum, & quarumcumque dispositionum interpretem, *l.* 27. *ff. de legib. cap. cum dilectus.* 8. vbi plenissima Augustin. Barbos. *de constitut.* Antunez. *de donat. reg. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 49. Nihil ergo est, quod subiectionem absolutam Commissarij Indici erga Reverendissimum Ministrum Generalem labefactet, ac iurisdictionem parem, & maiorem eiusdem Prepositi in Provincijs Commissario decretis restinguat.

RESPONDETVR OBIECTIONIBVS

DVo inter cetera opponuntur, quæ totius disputationis axim tenent. Primum, quod Reverendissimus Minister Generalis in institutione, quàm facit de Commissario, vices suas plenarie mandat, vt electus, tamquam alter nos, evellat, dissipet, & plantet: ergo per huiusmodi æfrenatissimam delegationem, omnem potestatem à se abdicare, & in Commissarium transferre videtur, ad instar Populi, quando Regem constituit, *l.* 1. *ff. de constit. Princip.*

Huic argumento factum fuit satis in superioribus, & quidem ineluctabiliter. Nunc autem ornatus, & exempli causa exhibere libet locum D. Ambrosij. *cap.* 3. *de fide ad*

Gra-

Gratianum, ibi: *Quod si putant, dicendo, quibus datum est à Patre meo, quod aut Patri plus tribuit, aut sibi aliquid derogavit: dicant vtrum, & illic putent, Patri aliquid derogatum, quia dixit in Evangelio filius de Patre: Pater non iudicat quemquam? Quod si sacrilegium putamus dicere, quod ita iudicium detulit filio, vt ipse non habeat (habet enim, nec potest amitere quod habet naturaliter Divina Maiestas) sacrilegium vtique stimare debemus, &c.* Connaturalis est, ex suppositione muneris, Reverendissimo Ministro Generali Monarchica potestas supra vniversum Ordinem Seraphicum, paternitas erga omnes illius alumnos: ergo per destinationem, & delectionem vnius, aut plurium ad eam explicandam in aliquibus Provincijs, quin, & in omnibus, censendum non est, illam à se penitus abdicare.

Alterum argumentum est. In Reverendissimo Præposito Generali duo munera discernenda sunt. Vnum *Ministri*. Alterum *Generalis*. Vti Ministro obedientiam debet, & profitetur Commissarius. Vti Generali negat. Sed sub acceptione Generalis cadit iurisdictio; ergo recte compatiuntur, esse subiectum Præposito, tamquam Ministro, & exemptum ab eo, tamquam Genereli: *discreta enim sunt iura* (dixit Tryfoninus *in l. Tutorem 22. ff. de his, quæ vt indign.*) *quamvis plura in eamdem personam devenerint.*

Hoc laruatum sophisma intra crepidam grammaticæ continetur, & sola constructione nominum diluitur. Terminus *Minister* est nomen officij, muneris, & Dignitatis. Illi est anexa Iurisdictio, & imperium. Adiectiuum, seu prædicatum Syncathegorematicum *Generalis* est nota amplitudinis, & extensionis, illius muneris, quo significatur, Reverendissimum Ministrum omnibus Seraphicæ Familiæ alumnis, nullo dempto, præesse: qui ergo Reverendissimo Ministro, vt tali, se subiectum profitetur, etiam si illi adimat (seu verius, surripiat) superadditum *Generalis*, non propterea subiectus esse

desinat:

desinat: quia hoc predicatum non tribuit iurisdictionem, sed datam, amplissimam esse ostendit; non enim est nomen substantiæ, sed accidentis, & per se, nisi abstractive, stare non potest. Necesse igitur est in libertatem proclamanti, vt respectu sui in Reverendissimo Præposito rationem *Ministri* destruat, & obliteret, emancipatum se abeo ostendat; quia adinuentum chimericum, & inauditum efugium *Generalis* non est modus legitimus, à sacris paternis exeundi.

Scopus ergo distinctionis, virus, quod in ea delitescit, est, obedientiam, & reverentiam verbo tenus præstare Reverendissimo Ministro, & re ipsa illius potestatem eludere; Prælatum dicere, & iudicem non agnoscere. Sed modus ipse proponendi saggitam retorquat. Contrariæ quippe sunt huiusmodi assertiones: *Revendissimum Præpositum, meum agnosco Ministrum. Eumdem non agnosco meum Generalem.* In prima fatetur Commissarius potestatem, iurisdictionem, & imperium Reverendissimi Ministri, quia vt tali, hæc omnia ei insunt; ac insuper, & per necessariam consequentiam ei esse subiectum, & additionem illius spectare. In secunda asserere intendit, esse extra territorium eiusdem Reverendissimi Antistitis; esse, & non esse intra ditionem alicuius sunt contraria: ergo.

Satius fuisset Commissario (semper tamen inverecundum) dictitare, se ratione suæ dispensationis simul cum Provincijs sibi decretis, non esse subiectum Reverendissimo Ministro Generali: & novam distinctionem, quæ ouum ponit scandalis, non comminisci. Quia dabile est, aliquam diœcesis partem ab Episcopi, qui illius Princeps Ecclesiasticus censetur, iurisdictione eximi. *cap. Auditis* 15. *de præscrit.* Verum in hac positione imminebat ei periculum probandi talem exemptionem, *cap. cum personæ de privileg. lib.* 6. Hanc Commissarius non aliunde, quam ab statutis, & ordinationibus Seraphicæ Religionis petere potest; ergo si istam probationem non præstat, sicuti

eam

eam præstare impossibile est, incaute eam provinciam agreditur.

Vere ergo ad se reversus, meliusque sibi constans Commissarius Indiarum, pro omnigena pietate, qua pollet, sequentes emissit confessiones: *Que no avia concordia, ley de la Religion, ni Bulla Apostolica, que lo eximiesse à su Reverendissima, ni a las Provincias, y Religiosos de Indias de la immediata obediencia del Reverendissimo Padre General, como vnica Cabeza, y Supremo Prelado Ordinario de la Religion; ni que à el dicho Reverendissimo Padre Ministro General le despojassen, ni abdicassen del Supremo, Ordinario, è immediato dominio, y govierno de las dichas Provincias, y Frayles de Indias.*

Quàm confessionem post congruum tempus, ei ad deliberandum præstitutum, ita geminauit: *Que no ay concordia, ley, ni Bulla, que exima expressamente à el Commissario General de Indias, ni à los Frayles de aquellas Provincias de la obediencia, y jurisdiccion del Reverendissimo Padre Ministro General de toda la Orden, ni como Ministro General, ni como General; por ser vnica, y Suprema Cabeza de toda la Religion. Y assimismo que no ay concordia, ley, ni Bulla Apostolica, que expressen, que su jurisdiccion es privativa* ad Generalem: *sòlo tiene entendido, que es Prelado Ordinario, y con immediata jurisdiccion de las sobredichas Provincias de Indias, subordinado con todos sus subditos à el Reverendissimo Padre Ministro General como segun Regla, y leyes lo estan todos los demàs Prelados, y subditos de la Religion.*

Confugiunt ad Regium asylum, dicentes: hanc dilucidam confessionem nocere non posse nostri invictissimi Principis Patronatui, quem in vniversa Seraphca Indiarum Religione habere dignoscitur, & iuri in creatione Commissarij per concordiam sibi reservato, *l. Non debet 74. ff. de reg. iur.*

Regium Patronatum agnoscimus. Inventionem huius muneris, nominationem, splendorem, & cetera, quæ illud

illud circunſtant, noſtris Invictiſſimis Principibus deferimus, & laxis fibris prædicamus. Quid hæc omnia commune habent cum ſubiectione, quæ reflectitur? Commiſſarius ſit in novo orbe *alter nos*, deputet eum noſter Monarcha. Sedeat in quatuordecim. Regat, & moderetur omnes Provincias ſibi decretas. Habeat plenitudinem poteſtatis. Nihil horum detrahit imperio, & Monarchicæ iuriſdictioni Reverendiſſimi Miniſtri Generalis, *cap. Dudum.* 14. *de præb. lib.* 6. cum ſupra notatis: inconſentanee igitur omnes iſti lapides revoluuntur, cimbala pulſantur.

Abdicationem iuriſdictionis à Reverendiſmo Miniſtro Generali (cui vni fundamento hæret Commiſſarius) non alio refferri ſuſpicamur quàm ad ſententiam *tex. in cap. Super quæſtionum.* 27. §. *Porro de offic. delegat.* Vbi per ſubdelegationem totius cauſæ delegatus poteſtate ſibi data nudatur. Debile argumentum. Iuriſdictio concredita delegato, non eſt propria illius, ſed Superioris, qui eam mandavit, *l.* 1. *ff. de offic. eius*: eam ſi ſubdelegaverit, iudex eſſe deſinit, quia nihil, vel radicem ſolam, penes ſe retinuit. Aliud in Ordinario dicitur: in eo enim iuriſdictio, ſortiti muneris coæva, naturalis, propria, & velut in fonte perenni conſideratur; qui ſi in riuulos integer diſecatur, manandi virtute non privatur, nunquam exhauritur, vt adfabre dixit Joan. And. *in addit. ad Gloſſ. indict. cap. Dudum.* 14. *de præbend. in* 6. Barboſ. *vot.* 33. *num.* 39. Non ergo valet argumentum vnius ad alteram.

Poſtrema obiectio in ius publicum collimat. Dicunt. Si in Miniſtrum Generalem cooptatus fuerit Exterus, Hiſpani nominis inimicus; poteſt in illum nouum Indiarum orbem, à cunctis Gentibus auitum, ingerere converſationem, Religioni non proficuam, & Regimini Politico exitialem: ergo vt his malis occurratur, ſatius, & convenientius eſt iuriſdictionem Commiſſarij privativam aſſerere, efficere.

Hæc

Hæc obiectio extra orbitam est: & si aliquid probat (redolet namque ideam) Pontificiam legem exoptat, qua munus Commissarij, antiquata regula sancti Francisci, privatiuum, & exemptum ab imperio Reverendissimi Ministri Generalis declaretur. Cum enim statuta Seraphici Ordinis, & diplomata Pontificia contrarium literaliter decantent, interpretatio doctrinalis, quæ cunctis patet. *l. Nam vt ait 13. ff. de legib. l. Quæsitum 13 ff de testib.* Crespi *observet. 1. num.67.* non est sufficiens ad eam declarationem agrediendam quia per eam constitutiones funditus evertuntur: opus igitur est legis autoritate *l. Si Imperialem. 12. C. de legib. cap. Inter alia 31. de sentent. excommunicat:* Ab hac inter Religiosos Condenda nostri Gloriosi Principes se abstinent, *cap. Quæ in Ecclesiarum 7. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ 10. de constit. cap. Non minus 4. cap. Adversus 7. de immuniat. Eccles. cap. Noverit 49 cap. Gravem 53 de sentent. excommunicat;* ergo adire debet summus Ecclesiæ Præsul, vt eam sanciat, & cavillo huic repagulam ponat.

Verum timor, quem patetice describunt, omnibus numeris vanus est. Habemus enim leges disertas, quæ malis expensis obuiam eunt. Provident, vt Religiosorum nullus, nisi à Prælatis missus, & supremo Indiarũ Senatu Licenciatus, ex Hispania solvat, & in illas novi Orbis partes traijciat. Vt illic commorantes, non missos, illicenciatos, & alienigenas Proreges, Præsides, Prætoria, & Reliqui Magistratus non patiantur. Super omnium conversationem invigilent; & quos in Rempublicam peccare viderint, authoritate propria, suorumque Prælatorum expulsione, vel exilio compescant, vt videre est. *in l. 3. & multis sequentibus tit. 14. lib. 1. l. 49. tit. 3. lib. 3. Recop. Indiar.* D. Solorçan *de Indiar. Gubernat. lib. 3. cap. 26.* D. Pedro Fras. *de. Reg. Patron. Indiar. cap. 7. à num. 21.* videant Actores Commissarij Indici quam impudenter illum timorem sparserint; *l. fin. ff. quod met. caus.* & an satius consultius que fuerit, in re prope modum invidiosa ora compressisse, quam Gallo; scisuram Seraphici Ordinis ambienti viam sternere, ovum ceteris Religionibus ponere.

AD SECVNDVM.

Respondeo, deputationem Procuratorum, Agentium & responsalium privative ad Reverendissimũ Ministrum Generalem pertinere. Quod sic ex ratione iuris communis *in cap. Edocere 21. de rescript. & in cap. Cum deputati. 16.* de iudic. & attentis Seraphici Ordinis Statutis, & Constitutionibus, docent Miranda. *In Manual. Prælat. tom. 2. quæst. 10.* Rodrig. *quæst. reg. 53. art. 1.* Sanctor. de Melph. *in comment. moral. const. Ordin. cap. 8. statut. 27. Gubernat. in orb. Seraphic. tom. 1. lib. 3. cap. 23. §. 2. num. 12. & 17.*

Et speciatim Congregatio Segoviensis de anno 1621. ibi: *Declarat Capitulum Generale, Procuratorem, vel Commissarium Romanæ Curiæ,*

Curia, pro nostra Cismontana Familia designatum, pro omnibus præfata Familia Provincijs, etiam Indiarum, tam Occidentis, quàm Orientis, intelligi debere Constitutum. Qua propter Indicis Provincijs præcipitur, vt ad prædictum Procuratorem, vel Commissarium immediatè transmitant negotia in Romana Curia tractanda, Testatur Gubernat. *in orb. Seraphic. tom. 1. l. 3. cap. 23. §. 1. num. 9.* in Statuto autem Romæ edito sub anno 1676. *Declaratur ad Procuratorem Generalem Ordinis spectare instantias, quæ fieri solent in Cappella suæ Sanctitatis pro actu Beatificationis, vel Canozationis servorum Dei ex nostra Religione, cuiuscunque ipsi servi Dei Familiæ extiterint.*

Nisi Commissarius primam assertionem falsam ostenderit, secundam, quæ Indicas Provincias comprehendit; & diutina observantia evidentem reddidit, negare non potest: quemadmodum ipse in sua Augustiniana confessione palam fatetur: *Que no ay ley, ni constitucion, que prohiba à el Ministro General la institucion, ò confirmacion de qualesquiera Agentes, ó Procuradores de la Curia Romana; ù otra qualquiera Curia de todas las Provincias de la Orden, aunque sean de las Indias.*

AD TERTIVM.

Respondeo, institutionē Vicecommissarij Indici, apud Hispalim commorantis pertinere ad Reverendissimum Ministrum Generalem Hispaniæ Agentem; eo tamen absente, ad Commissarium. Probatur ex Romana Constitutione de anno 1587. ibi: *Decernitur, vt in Hispalensi Sancti Francisci Conventu vnus aliquis probus Pater, super Fratres, tàm Indias adeuntes, quam ab eis reddeuntes Vicecommissarius instituatur. Qui tamen Vicecommissarius absente Generali Ministro à præfato Generali Indiarum Commissario eligendus instituendus que veniat.* Quæ constitutio laudata: & approbata fuit in alia Romana Congregatione de anno 1600. & iterum *in Segoviensi sub anno* 1621. Refert Gubernat. *in orb. Seraphic. tom. 3. cap. 122. fol. 370. & cap. 124. fol. 580. & fol. 697.*

Durationem octonnalem huius muneris in Congregatione Toletana stabilitam de anno 1673. contra Regulas obedientiarias, proscripsit Capitulum Generale Romæ habitum sub anno 1676. in hæc verba: *Authoritate, & decreto Sacræ Congregationis S.R.E. Cardinalium, negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, stabilitur liberum esse Ministro Generali deponere, & removere ab officio Vicecommissarium Generalem Indiarum, Hispali residentem ad ipsius arbitrium, prout in Domino expedire cognoverit; non obstante constitutione Toletana de anno 1673. & alijs quibuscunque.*

His testimonis adstipulatur confessio Commissarij: *Que toca à el Ministro General la institucion, ò remocion à su arbitrio del Vicecommissario, que reside en Sevilla, como no estè ausente el Ministro General: y que tampoco ay ley, ni constitucion Apostolica en contrario.*

AD

AD QVARTVM.

Respondeo; electionem, & institutionem Commissariorum Generalium, tam Peruani, quam Mexicani, privative spectare ad Reverendissimum Ministrum totius Seraphici Ordinis Generalem, vt explorate constat ex Congregatione Toletana anni 1583. *cap.* 3. ibi: *Et quia nimia illarum partium distantia impedimentum præstat, ne occurrentia negotia possint à Generali Ministro, in Curia residenti expediri, vel absolvi; statuitur, vt duo Commissarij Generales semper resideant in illis partibus, vnus Provinciæ novæ Hispaniæ, alter vero in Provincijs del Perù: isti vero Commissarij erunt constituendi per Ministrum Generalem.*

Et in altera anni 1645. ibi: *Sancimus, & declaramus, quod nominatio, electio, missio, visitatio, & correctio Commissariorum Generalium, qui ad Novam Hispaniam, & Regnum Peruanum mittuntur, pertinet privative ad Ministrum Generalem, qui est Supremum Caput Religionis.*

Quæ quidem ordinationes confirmatæ fuerunt à Gregorio XIV. sub die 25. Aprilis anni 1591. & ab Vrbano VIII die 17. Iullij anni 1643. Teste Gubernat. *in orb. Seraphici tom.* 1. *lib.* 3. *cap.*18 *num* 6. & iuris communis authoritate fulciuntur, *cap. in singulis* 7. *de stat Monachor. Tridentin. sess* 24. *de reformat. cap* 3 *& sess.* 25. *de regularib. cap* 8 & 20 Docent Miranda. *in Manual Prælat. tom.*2. *quæst.* 14 *art.* 2. Sanctor. de Melph. *coment. moral instat. & constitut. Ordin. cap.* 8. *statut.* 37. *fol.* 609. D Solorzan. *de Indiar. Gubernat. lib.* 3. *cap* 26. *num.* 64. Si quis autem Commissarius Generalis Indiarum quandoque hanc hæreditatem sibi addicere tentavit (vt de Fratre Iosepho Maldonato perhibetur) repulsam pati, & male audire meruit Gubernat. *in orb. Seraphic. tom.* 1, *lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 3.

Opponitur quædam constitutio Victoriana de anno 1648. qua venditant, supra recitatas ordinationes fuisse revocatas, & Commissario Indico has electiones privative atributas. Verum illa Victoriana constitutio, cui huius thesauri inventionem acceptam ferunt, commentitia, & apocripha est: quia non legitur in regestis Victorianis, nec aliquam eius mentionem facit Gubernat. *in orb. Seraphic. tom* 4. *fol.* 122. quem dehac re testem advocat, *l. Siquis testibus* 17. *C. de testib.* *bellissime* Maxim. Taurinens. *Homil. in festum pascha* eis verbis: *Validis absque dubio nititur privilegijs, qui causam de adversarijs asserit instrumentis. Speciosa Victoria est contrariam partem cartulis suis, velut proprijs laqueis irretire, & testimoniorum suorum vocibus confutare, & emulum telis suis evincere.*

Tum est in verosimilis, quia in illius proœmio hæc verba exarantur: *Quoniam Catholicus Rex noster litteris suis, expeditis Cesar-Augustæ die* 1. *Iullij anno Domini* 1646. *iussit Ministro Generali Patri Ioan. de Napoles, quod constitutiones, secundæ & tertiæ, sub titulo pro*

Indijs Occidentalibus, edita toleti anno Domini 1645. *una cum mandato lingua vulgari edito* Titulo para las Indias, *reformarentur*, *aut expurgarentur* Et indecisiuis: *Qua propter virtute ipsius mandati declaratur.*

Quis credat Catholicum Monarcham inter Religiosos Legislatorem egisse, legem Ecclesiasticam imperasse? solus certe, qui in sacris Canonibus hospes fuerit, *cap.* 11.*distinct.* 96 *si Imperator Catholicus est (quod salva pace ipsius dixerimus) filius est, non Præsul Ecclesiæ, Quod ad Religionem competit, discere ei convenit non docere.* Et infra. *Non a legibus publicis, non à potestatibus sæculi, sed à Pontificibus, & Sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ Religionis Clericos, & Sacerdotes voluit Ordinari, & discuti, recipique de errore remeantes.*

Demum talis machinata Constitutio est irrita. Quia congregatio Victoriana, quæ eam tulisse dicitur, non fuit Generalis, sed tantundem ex Cismontana Familia pro eligendo Vicario Generali coacta; cui non inest potestas derogandi leges, ab Æcumenico Ordinis Seraphici Conventu scriptas, datas, seu imperatas, quia est Inferior, *cap.* 16. *de maioritat. & obedient. Clement. ne Romani in princip. de elect.* Sanchz *de Matrim. lib.* 6. *disputat.*17. *num.* 24. Suarez. *de legib.lib.*6. *cap.* 19. *num.*6. Antunez. *de donat. reg. lib* 1.*part.*2. *cap.* 10. *num.* 25.

Quæ ratio in eluctabilius procedit in Constitutionibus ab Apostolica Sede confirmatis (cuiusmodi sunt, quæ Reverendissimo Ministro Generali favent) quia hoc ipso fiunt Pontificiæ, *cap pro illorum* 22. *de præbend. cap. Si Apostolicæ.* 22. *eod. tit. in* 6. Et ab inferiore, qui ad id non habeat specialem facultatem, minime gentium revocari possunt. Felin. *in cap. Cum accesissent.n.* 5. *de constit.* Barb. *in cap.Cum omnes eod. tit. & de offic. Episop. part.*2. *allegat.* 34 *n.*7. Tondut.*Canonicar.tom.*2. *cap.* 149. Rota apud Seraphin. *decis.* 538. apud Cavaler. *decis.* 45. apud Covinum. *decis.* 1523. *num.*3. Paul. Rub.*tom.*2. *part.* 6. *observat.* 1.§. 7. *& observat.* 3 §. 2.

Mito alias duas obiectiones. Primam, quæ in atribuenda electione Commissariorum Indiarum Reverendissimo Ministro Generali, calumniatur Constitutionem Toletanam ex defectu potestatis. Secundam, qua interrumpere satagunt observantiam, quæ in explicãdis huiusmodi electionibus viguit pro Reverendissimo Præposito ab erectione illorum munerum, excommentitio quodam exemplari anni 1586. Prior namque obiectio nenias sapit. Posterior manifeste diluitur ex vera facti serie, quam refert. Gubernat. *in orb. Seraphic. tom.* 1. *lib.* 3 *cap.* 26 *ex n.* 61.

Cuius narrationi, & relatis documentis respondet confessio Commissarij Generalis Indiarum: *Que aviendo visto las leyes en sus originales, Dixo, y confessó ser assi, que por dichas leyes y constituciones de la Religion le toca á el Ministro General la nominacion, è institucion de los Commissarios Generales del Perù, y Nueva España; y que no ay concordia, ley, ò constitucion Apostolica, que disponga lo contrario.* Quare ego ita censendum. Salva, &c.